









Anno MDCCXXIX.

De Cataracta. Henrici.

- Tonke medicato ligniceli. Rücker.

MDCCXXX

- immoderata haemorrhoidum fluxione. Geugendine
- haemorrhagia cerebri. Clauder
- haemoptys. Hartnick.
- fontis padani et Schwabacensis convenientia.  
Haendtschky.
- haemorrhagia uteri. Luders.
- doloribus. Ludolf.
- oretographia Hallenfis. Lerche.
- venae fistulas abuji. Wahl.
- haemorrhagia viarum urinatarum. Hirschius  
theses anatomico-medicae miscellanæ. Adolphus.

MDCCXXXI

De medicina simplicissima summae efficacie. Zyl.

- dolore cardialgico. Habicht.
- dolore cephalico - Benig.
- metastasis. Pontag.
- dolore et spasmo ex calculo fello. Nitsch.
- differenti medicamentorum operatione secun-  
dum diversam corporis idiosynkrasiam. Nimptsch
- cura partus modo endxi et lactantis. Kowales.
- acidulus Vetera quenfibus. Rhoncse.
- dolore ex calculo renum. Döbler.

De vera perpetui mobilis in homine vivo  
idea. Wacker.

- genuina chlorofis indele, origine et cura-  
tione. Emrich.
- vitae animalis considerat: theoretico-pract.  
Tralles.

MDCXXXII.

- cognoscenda corporis humani natura ex  
effectu remediorum. Gosky.
- acido vitrioli vino. Hoffmann.
- vero universae Medicinae principio in  
Structura corporis mechanica reperiendo.  
Grosje.
- Senectute ipsa morbo. Hutter.
- purpura scorbutica ex progresso haemor-  
rhoidum fluxu nimio. Cullenij.
- vera nati epileptici causa. Buttner.

4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**HÆMORRHAGIA  
CEREBRI**  
QVAM  
PROPITIO NVMINE SVMMO  
PRÆSIDE  
**D. FRIDER. HOFFMANNO**  
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE  
AD  
**DOCTORIS IN MEDICINA**  
DIGNITATEM ET PRIVILEGIA  
RITE OBTINENDA  
AD D. 8. AVGVSTI A. R. S. CICCCXXX.  
PVBLICO EXAMINI  
SUBMITTET  
**GABRIEL ZACHARIAS CLAVDER**  
ALTBURGENSIS MISNICVS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS GEORGII IACOBI LEHMANNI VIDVÆ.

DIVISITATIS IN AGRARIA MEDICA

АГРАРНАЯ  
ДИВИСИЯ

БЕЗОПАСНОСТЬ

ОХРАНА СЕЛЬСКОГО

ДОЛГОВРЕМЕННОГО  
ПЛАНИРОВАНИЯ

БОГОДОСТИ ПРИРОДЫ

СЕЛЬСКОГО ОБРАЗА ЖИЗНИ



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

# HÆMORRHAGIA CEREBRI.

PROOEMIVM.



I talis ille humor, san-  
guis, quamdui vitæ usibus  
servit, continetur vasorum  
conceptaculis, in iisdem  
motu circumagit peren-  
ni, ac eorum ministerio  
per omnem corporis compagem, ad secre-  
tiones & excretiones cum nutritione perfici-  
endas, dimititur. Simulac vero canarium  
alycis elabitur & non amplius per eosdem

A 2

mo-

movetur, vitali usui non tantum fit ineptus, verum etiam haud raro vitæ sanitatique infert detrimentum. Iam universum omnino corpus est vasculosum, ex innumeris majoribus, minoribus, minimisque tubulis contextum, & ipsi canales ita comparati, ut ab humore contento facile diduci queant atque perrumpi. Hinc hæmorrhagiae sunt tam frequentes, atque etiam in locis tam diversis, quin observatorum fide, in omnibus fere corporis partibus, subinde succedunt. Id autem jam pridem notarunt medentum attentiores, differentem maxime hæmorrhagiarum esse indolem ac rationem; quasdam cum sanitatis emolumento, quasdam vicissim cum ipsis, quin vitæ detimento, contingere. Ex illis maxime esse, quæ non modo sanguinem copia sanitati infestum eliminant, sed & moderatæ ac successive eveniunt iis in locis, ubi effusus crux commode foras ire, & vulnuscula e quibus prodiit iterum coire queunt. Corporis vero integratatem vitamque destruere has, quæ licet quandoque sanguinem nimium

um evehant, tamen non solum cum impetu  
& excessu fiunt, sed etiam in nobilioribus  
internis iis partibus, ubi nec hiatus vasorum  
adduci possunt, neque elapsus vasis sanguis  
foras agi, sed subsistens, aut plane putre-  
scens, functiones turbat ac tandem destruit.  
De illis quidem sanguinis profluviis, quæ in  
salutem cedunt, plena sunt nostro hoc tem-  
pore Medicorum scripta & ora, nec capro-  
pter ut de iis hoc loco dicamus necessarium.  
Sed quæ ex naturæ, ut opinio fert, vel quasi  
errore, damnosæ atque exitiales sunt hæ-  
morrhagiæ, de iis frigide admodum differi-  
tur. Interim experientia, optima rerum  
magistra, uberius edocet, has non minus fre-  
quentes esse quam illas, multosque tollere e  
medio, ac proinde medicæ considerationis  
esse quam maxime. Sane, quam grave  
periculum vitæ immineat ex ruptis in pul-  
monibus vasculis, in ventriculo brevibus va-  
sis, in intestinorum interioribus cum mesen-  
terio communicantibus, renum quoque &  
vesicæ tubulis sanguiferis, apud omnes, qui  
vel nomen hæmoptyseos, cruenti vomitus,

A 3

mor-

morbi nigri Hippocratis & mictus cruentii,  
exaudiverunt, est in comperto. Quin haud  
adeo raræ in Medicorum commentariis sunt  
observationes, de vasorum sanguineorum  
in locis plane insolitis crepatura & facto inde  
sanguinis effluxu subitam mortem inferente.  
Nosmet ipsi novimus feminam, ex impro-  
viso lipothymia affectam & intra decem ho-  
ras fatis cedentem, in qua sectione facta,  
totum abdominis cavum sanguine plen-  
num & rupta in ovario dextro vasa cum  
multis sanguinis grumis offendimus. In vi-  
ro quoque subito pereunte, dextrum thora-  
cis latus factum cruento deprehendimus, qui  
procul dubio ex aperto majori vase fuerat  
effusus. In primis autem hunc in censum re-  
ferenda illa sanguinis profusio, quæ contingit  
in cerebro. Hæc enim frequens admodum  
est, & partis in quo evenit functio ad sen-  
sum motumque tam excellens ac necessaria,  
ut ipsa turbata, vel prorsus destructa, discri-  
men immineat gravissimum, quin ipse in-  
teritus. Quo atrocius igitur atque frequen-  
tius est hoc malum, eo magis necessarium,

ut

ut medentes id penitus pernoscant ac in il-  
lud inquirant cum cura. In Medicorum  
autem scholis plerumque generali apoplexiæ  
denominatione insigniri, atque etiam, cœi  
species ipsius gravissima, cum reliquis simul  
exponi solet. Quia tamen apoplexia sic  
dicta sanguinea gradu, & præterea a reliquis  
apoplexiæ speciebus, ratione indolis, eventus  
ac medendi methodi multum differt; meri-  
to omnino ejusdem disquisitionem figilla-  
tim, ne confusio fiat, instituendam, atque  
etiam eidem nomen, ex ipsa formali morbi  
ratione petitum, imponendum esse, arbit-  
ramur. Id jam nobis exsequendum sum-  
simus & in specimine hoc inaugurali diffe-  
rere constituimus: DE HÆMORRHAGIA  
CEREBRI, ita, ut prius indelem, signa,  
causas & eventum hujus mali sistamus, dein  
quo pacto eidem occurrentum idque arcen-  
dum sit tradamus, tum cautelas hunc in  
finem utiles exponamus, ac tandem exempla  
memoratu digna cum adjuncto judicio ad-  
damus. Annuat propitium summum Nu-  
men cœpto labori, eundem benignissime  
secundet atque in salutarem finem dirigat!

THE-

## THESES PATHOLOGICÆ.

## I.

**I**psum quidem nomen hæmorrhagia cerebri jam indicat, quis & qualis sit ille, de quo agemus morbus. Ut tamen eo magis perspicuus in limite fiat conceptus, tenendum: nobis hoc nomine venire sanguinis in cerebro effusionem, ab ipsis nimia ibi congelione, vasa valde distendente, tandemque unum aut alterum perrumpente, ortam, functiones, animales potissimum & vitales, turbantem & plerumque mortem inferentem.

II. Hæmorrhagiam cerebri existere revera, ejusdemque proximam caussam esse rupturam vasorum in eo, luculenter monstrant sectiones anatomicae in defunctis institutæ. His enim in comperto est: sanguinem modo inter cranium & duram matrem, modo inter hanc & piam matrem, frequentius hanc inter & cerebrum, frequentissime in hujus anfractus & ventriculos, quandoque in basin ipsius, interdum minori, interdum etiam satis magna copia, effundi. His quoque constat: ipsa sanguifera vasa, per cerebri membranas & corticem discurrentia, sanguine nunc liquido, nunc concreto turgida & veluti varicosa, haud raro etiam erupta conspici.

III. Pars igitur primario affecta est cerebrum, quod ad concipiendam sanguinis stagnationem & inde oriundam hæmorrhagiam admodum dispositum. Et enim insignis sanguinis quantitas, & si non dimidia, minimum, teste MALPIGHIO, tertia pars, illius qui in toto corpore est, eo per quatuor capaces fatis arterias

arterias adducitur. Dein arteriosa hæc sanguinem advehentia vasa tortuosum admodum ubique, & maxime in pia matre, servant tractum. Tum, quod maximum, ipsæ hæ arteriæ, postquam subierunt cranium, deposita exteriori tendinea, potissimo motus systaltici instrumento, tunica, tenuiores longe sunt, quam in reliquo corpore, & quasi venas referunt. Ne dicam, adeo demum gracilescere hæc vasa, ut sanguinis per ipsarum angustias in venulas socias transitus, sensus plane subterfugiat. Quæ omnia faciunt utique, ut sanguis heic tardius circumeat, facile etiam subsistat, aditu in venas expedito facile intercludatur, novique accessu cumulatus continuo, alveos canalicium admodum dilatet & ad consequentia plura mala ansam præbeat.

IV. Inprimis præsente jam eiusmodi dispositione, facilis postea in rupturam & effluxum est transitus, tum videlicet, ubi accesserint causæ, quæ sanguinem majori copia & cum impetu ad caput congerunt, ejusdem in ipso stagnationem invitant ac liberum per vasa cursum valide sufflaminant. Sic enim demum fit, ut vasa non modo cruro turgeant, sed & ab appulso jugiter novo nimium farcta, dehiscant, rumpantur & sanguinem effundant. Id quod maxime in pie meningis vasculis, nec non iis, quæ choroideos plexus constituant, contingere, cadaverum sectione constat.

V. Interim, quia cerebrum nobile illud est organum, quod dicatum secretioni illius liquidi, quod per

B

per nervos ad omnes corporis partes amandatum, iis sensum praestat ac motum, aliter fieri nequit, quam ut turbata, aut plane abolita, per effusum partim, partim subsistentem sanguinem, hac ejus functione, sanitas & vita graviter periclitentur, quin prorsus destruantur. Scilicet tam congestus, quam effusus in cerebro sanguis, sufflaminant reliqui per illud progressum; hoc autem intercepto, intercipietur necessario sequestratio secernendi ex sanguine nervorum succi. Dein elapsus vasorum alveis incumbens crux & dilatatae plus aequo arteriolae, in continuatas pressaque medullares fibras, vix quicquam transmittunt fluidi, cuius vigore tendendæ perpetuo ad sensum motumque nervorum fibrillæ. Atque adeo deficiente secretione & influxu hujus liquidi, deficit quoque sensuum exercitium, deficit motuum perennitas, functiones omnis generis, maxime vero vitales & animales turbantur, ac elangescente tandem ipsius cordis systalica vi, mors ipsa accedit, non ex morali, ut quidam volunt, causa, ob tedium principii interni vitalis, propter motus antea frustra institutos, sed ex causa physica, ob organum sic corruptum & vitiatum.

VI. Quæ omnia sic omnino contingere, testatum faciunt pathemata illa truculenta, quibus hæmorragia stipatur, & e quibus, ceu diagnosticis signis, etiam cognoscenda. Nimirum qui eam incurrint in terram concidunt subito, omni mentis vi ac cogitatione, sensu quoque ac motu privantur omni-

cun-

cuncta membra sunt languida & flaccida, lingua obtutescit, palpebræ suspensa & os hians comparent, deglutitio sublata, & alvus, & vesica, retinenda excrementa, haud raro sponte dimitunt. Atque hæc omnia laetam cerebri functionem & clanguescens inde muscularum robur produnt luculenter.

VII. Difficili autem & intercepto sanguinis per capitis interiora commeatu tribuenda reliqua quæ observantur phænomena. Quod scilicet genæ rubi-  
cundo admodum & florido colore suffundantur, fa-  
cies tumeat, vasa per faciem & maxime tempora dif-  
currentia, turgeant, erupta in ore, naribus ac auribus san-  
guinem interdum, maxime post mortem, fundant, quin  
accedente putredine, caput in miram distendantur magni-  
tudinem; id a sanguinis per carotides internas aditu  
denegato, & capropter in externas factò impetu, meri-  
to derivandum. Quod oculi distendantur, promi-  
neant, rigidi & quali vitrei compareant ac lacrimas  
uberius fundant; id lymphæ a sanguine stagnante co-  
piosius sedente in acceptis ferendum. Quod cor  
valide pulset, arteriarum quoque pulsus magnus sit,  
ac post mortem cor mire turgidum magnaque arte-  
riæ tubus haud raro admodum ampliatus offendatur,  
merito a sanguine ex cerebro eo regurgitante repeten-  
dum. Quod spiritus sit difficilis cum stertore & rhon-  
cho, id sanguinis pulmones obruentis moli, eorun-  
demque capropter intercepto æquali reciproco motui,  
aërem rite nec expellenti, nec admittenti, imputan-  
dum. Quod demum vomitus & convulsiones cum

dentium stridore varie accedant, non aliunde, quam a sanguine in duræ matris vasis hærente eandemque ad spasmum solicitante, deducendum.

IIX. Iam sicuti omnis omnino hæmorrhagia supponit ac præviam haberet, sanguinis, in illa ubi succedit parte, nimiam ad rupturam usque congestionem; ita quod eadem in hac, quæ in cerebro fit effusione, præsto sit, est utique certum. Evincunt enim id omnes, quæ morbum hunc antecedunt ac prænuntiant passiones, quas inter præcipue, capitis cum vertigine temulenta, ejusdemque præcipue in occipite, dolor pressorius & gravativus, visus modo per caligines, modo coruscationes, turbatio, oculorum humiditas & intumescentia, aurium susurrus atque tintitus, memoria & ingenii aliqualis hebetudo, somnus profundus, incubo & insomniis stipatus, venarum jugularum turgescentia ac faciei præter consuetudinem rubore suffusio.

IX. Quemadmodum porro ad inducendam sanguinis in certa parte congestionem, præter ejusdem abundantiam, tum ipsius validior per spasmum in aliis partibus eo suscitatus appulsus, tum etiam partis congestionem admittens quædam debilitas, concurrent; ita, quin eadem hæc ad gignendam eam, quæ in cerebri vasis colligitur congestionem, conferant, neutiquam dubitandum. Huc enim reddit omnis vis & efficacia illarum causarum, quas ad ingignendum hunc morbum, cœu antecedentes & procatarracticas conferre, ratio docet, experientia confirmat.

X. Ut

X. Ut de sanguinis plenitudine primum dicamus, propter eam omnino accidit, quod hæmorrhagia hæc frequentissime incidat in ætatem virilem, ubi confecto corporis augmento, succi in vasis plus justo accumulantur. Hinc porro sit, quod qui temperamenti sic dicti sunt sanguinei, nec non sanguineocholerici, item obesi, cum iis, qui lautam, otiosam & sedentariam vitam fœtantur somnoque indulgent, hæmorrhagia huic admodum sint obnoxii. Idem accidere iis, qui propter suppressas, aut imminutas spontaneas hæmorrhagias, nec non omissas diu suetas antea artificiales subtractiones, nimiam sanguinis copiam colligunt & coacervant, uberius testantur Medicorum observata. De neglecta sanguinis missione testes sunt Ada Medic. Vratislav. MDCCII. de narium hæmorrhagia suppressa HILDANVS Cent. III. Obs. XI; de hæmorrhoidibus retentis HIPPOCRATES, AMATVS & ZACVTVS LVSITANI, & qui primo loco ponendus fuisset, LANCISIVS, de subit. mortib. de mensibus & lochiis cohibitis cum FONTANO Ada Nat. Curios. passim; de vicaria etiam mensum per os & nares vacuatione HILDANVS Cent. III. Obs. XII.

XI. Tanto vero magis tantoque certius hæc sanguinis redundantia ad inferendum quod diximus damnum fit efficax, si accelerit altera illa causa, spasmus nempe in aliis externis remotisque a capite corporis partibus. Hujus enim tam infesta est operatio, ut non tantum sanguinis progressu in ea, quam deti-

net parte, fibras stringendo & vasa coarctando, obicem ponat, verum etiam eundem urgeat, ut aliorum cum impetu ruat, ibi vasa oppleat, diducat tandemque perrumpat. Spasmus autem in hæmorrhagiis omnibus, atque etiam in hac, præsto esse, testatur juncta magnitudini pulsus durities, strictrum nervosatum in arteriis tunicarum prodens. Testatur quoque antecedens extermorium refrigeratio, nec non ille, quem quidam in artibus sentiunt, formicationis sensus. Atque etiam hanc ob causam fieri censendum est, quod experientia teste, hanc hæmorrhagiam sèpe incurant, qui spasmis, in abdome maxime, aliquandiu fuerunt detenti, qui scilicet colicis passionibus, præsertim spasmodicis, hypochondriaco malo, nec non diuturna alvi strictrum laborarunt.

XII. Ex quo jam ulterius concludendum, omnia quæ spasmus inducere apta, in numerum causarum hujus mali esse referenda. Conspicuus hoc nomine maxime est animi affectuum effectus, iræ in primis ac terroris, quæ proxime in nervosas partes agunt, easdemque in anomalos spasticos motus adducendo, inaequalem quoque faciunt sanguinis circuitum, atque malum hoc sepius accersunt; uti inter alios HILDANVS, SCHENCKIVS ac FORESTVS fidem faciunt. Idem efficere valet vñereum oestrum, quo motuum æquilibrio sublatu, adeo in quibusdam exagitatum fusile sanguinem, ut ipso in actu occubuerint attoniti, ex Henrici ab HEER Ohser. XLIX. BARTHOLINO & D. PRÆSIDIS de morbis ex intempestiva

*pestiva venere dissertatione*, constat uberioris. Neque tantum impensis animi, verum etiam corporis commotio, ad sanguinem versus caput urgendum multum facit. Nos inter alia novimus a mica panis asperæ arterias illapsa, vehementissimam concitatam fuisse tufsim, quam exceptit hæmorrhagia in cerebro, lethali cum eventu.

XIII. Magna quoque ad inducendum hoc malum vis est materiae illi acri, corruptæ & veneni tantam non naturam habenti, quæ a succorum vitalium connubio salutari admodum consilio segregata, ad corporis ambitum propellitur, quando, vel sponte iterum recedit, aut per injurias externas repellitur; quippe quæ nervosis internis membranis illapsa, spasticas atroces suscitat stricturas, per quas sanguis utique etiam agitur cum impetu ad caput ibidemque congeritur. Sic ex ulcerum manantium & fonticulorum coalitu id factum esse, auctor est WEPFERVS; ex coryzæ, pedum sudoris catarrhaliumque affectuum suppressione, nec non retrocedente scabie, Ephemerides nature curiosorum; ex arthritide & podagra emanente D. PRAESES *Med. System. rat. tom. III. pag. 189.* nec non WEPFERVS. Haud dissimilem pernicialem effectum in internis nervosis partibus edunt adstringentia, præpostere, in primis in hæmorrhagiis nimis data, de quo notabile observavit exemplum D. PRAESES, quod pluribus expositum in dissertatione Altorfi habita, *de viro apoplexia ex inconsulta hæmorrhoidum suppressione extinto.*

XIV.

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

XIV. Merito præterea in numerum cauſſarum hujus mali venit ipſe aër, cuius conſtitutionem inſalubrem & præternaturalem, epidemicum proſrus feciſſe hunc morbum, L O M M I V S potiſſimum, BAGLIVVS & LANCISIVS affiſmant. Maxime omnium vero generationi ejusdem favet frigus, quod fibras cutaneas ſtringendo vafaque in ambitu coarctando, ad iñteriora iſpumque caput urget ac pellit humores. Vnde HIPPOCRATES jam *Sed.* *III. apb. 23*, hiemalibus morbis annumeravit apoplexiū. Et PISO notavit: quod, quando circa ſolſticiū hibernum boreas, corpora valde comprimens & mercurium eapropter in barometro ſurſum urgens ventus, repente iñfurgit, dispositos admodum iñfēſtare ſoleat attonitus morbus. Neque minus ad producendum hoc malum multum facit ſubita aëris mutatio. Nos certe crebrius obſervavimus, quod, ſi diurnam aëris intemperiem frigido - humidam, vento diutius ex occidente & zephyro ſpirante, ſubito ventus frigidus valde ex borea excipit; aut etiam in tempeſtatem aëris calidam & humidam, cito ſequitur algida & conſtrigens atmosphæra conſtitutio: facilis admodum in hunc morbum dispositis ſit lapsus. Quo etiam fundamento nititur illa AMATI LV-SITANI *Cent. I. curat. XXXVI.* obſervatio, qua admiſſo liberius corpori ex balneo fervido aëſtantि frigido aere, apoplexiā accessiſſe memorat.

XV. Accedit cauſa, inter præcipias numeranda, vaſorum ſcilicet & membranarum cerebri imbecilli- tas,

tas, sive imminuta potentia motrix systaltica. Sine hac enim nec abundantia, nec appulsus sanguinis, ad excludendum hoc malum sufficiunt; at ubi adeat, membranæ sanguinem appulsum minus vegete protrudunt, vasa eidem cedunt, latus fit circuitus, stagnatio, farctus tandemque ruptura. Est autem hæc debilitas quandoque nativa & a parentibus accepta, qua fit, ut certis familiis, fatalis atque funestus sit hic morbus, uti exemplis HOEFERVS, FORESTVS atque SENNER TVS confirmarunt. Alia deum accedit; quod patet in senibus, in quibus, quia partium omnium labascit robur, non mirum est, id etiam contingere in capite, ipsosque capropter frequentius pati hos manes.

XVI. Inter cauſſas, qua vasa ac membranas cerebri tono privant debito, potissima utique est, ingluvies, intemperantia atque ebrietas, ex cerevisiis lupulatis, vino, maxime sulphuris fumo infecto, nec non vini spiritu. Horum enim ea indoles, ut sanguinem exagitent, expandant, eoque simul ipsa vasa per quæ decurrit distendant. Quod ubi accidit crebro, manet illa distensio, systaltica vis infringitur & ad concepiendam morbosam stagnationem sternitur via. Vnde merito hinc cauſſam repetit Henricus ab HEER, quod septentrionalibus populis adeo frequens sit hic morbus, ac uti LANCISIVS observavit, nemo fere sobriae vita addictus eodem corripiatur. Nec dispar ratio eorum, quæ capiti stuporem conciliant, opiatorum, absynthii, lupuli, nicotianæ, croci, car-

C

bonum

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

bonum vivorum, musti & cerevisiae fermentantis vaporum, quibus dum succi & canales plus justo rarefiunt ac distenduntur, impeditus utique fit progressus.

XVII. Non minoris momenti ad prioritandam cerebri hæmorrhagiam sunt vigiliae assiduae, meditationes profunda, lucubrations nocturnæ, veneris quoque intempestivum ac nimium exercitium; quippe quæ cerebro nervosissime partibus cunctis mirum quantum subtrahunt robur. Eundem in finem cooperantur somnus profundus, situs capitidis declivis, constrictio colli arctior, radii solares in nudum caput impingentes, ipsæ quoque polyposæ concretiones, quas in duræ matris sanguibus & jugularibus venis semper fere offendit fidem facit GREISELIVS in *M. N. C. ann. MDCLXX. obs. LXXIV.* His enim tum sanguinis ad caput affluxus invitatur, tum maxime ejusdem regresus impeditur, eoque, ita vasa obruuntur cruento, ut eorum systaltica vis propulsioni non amplius sufficiat.

XIX. Neque vero omnis nimia sanguinis ab ipsis quas adduximus cauflis suscitata ad caput translatio, statim rupturam & lethalem e cerebri vasis effusionem infert; sed interduum singulare naturæ robore & accidente convenienti Medici auxilio, sanguis ibi stagnans, vasa opprens atque diducens, priusquam perrumpat, discutitur iterum ac in motum redigitur, ut salva maneat vita; licet saepius internis in sensibus, praesertim memoria, debilitas, ac in artibus unius vel alterius lateris roboris defectus relinquatur. Vocare solet hunc

hunc affectum D. PRAESES apoplexiā levem & spasmodicā. Apoplexiā, quia qui ipsa corripiuntur concidunt pariter ut apoplectici, motuque & sensu, licet non semper penitus, privantur, fiunt aphoni & partes extremae frigidæ sunt ac rigidæ. Spasmodicam, quia plerumque a spasticis stricturis & primarum viarum flatulentis oritur, in hypochondriaco maxime & hysterico malo affectis, præcedentibus aliud caput debilitantibus causis. Levem, quia mens successive redit, ac missō sanguine, soluta alvo & admotis capiti naribusque externis efficaciter discutientibus, symptomata paullatim evanescunt, erumpente utplurimum inter illa, vel discedentibus ipsis, vomitu, quo quandoque viscida copiosa, quandoque biliosa viridis materia rejicitur. Quæ quidem materia plerumque causam & somitem hujus mali suppeditare solet, licet ipse vomitus sit nihil aliud, quam stomachi convulsio, suscitata in paroxysmo ob consensum, qui nerveis ventriculi tunicis, cum ipsa dura matre intercedit. Interim hæc incompleta cerebri haemorrhagia, sive apoplexia, merito distinguenda a syncope. Vtisque enim communis sensus motusque abolitio; at in apoplexia respiratio adhuc succedit, cordis & arteriarum pulsus percipitur & facies rubet, quæ in syncope secus sunt omnia.

XIX. Dein hic qui a sanguinis effluxu in cerebro oritur attonitus morbus, probe discernendus ab illo, qui fit a seri ibidem secessu, & quem consequitur hemiplexia & paralysis totius lateris, ac vita quidem

servatur, sed admodum misera. Hæc enim fit, quando quidem sanguis nimia copia cum impetu congeritur ad caput, non tamen vasā perrumpit, sed propter diuturnam tantum stagnationem serum per poros secedit, ac descendens vel ad cerebri basin, vel ad spinalis medullā alterutrum latus, eidemque incumbens, liquidi subtilioris activi tam secretionem, quam influxum in nervos, intercipit; eoque partes in latere alterutro sensū privat ac motu. Ut præterea mus conspicuum illam differentiam, quæ affectus inter soporosos & hunc quem delineavimus intercedit, dum illi sensim, non simul ac semel accedunt, neque sensus & motus abolitionem, sed tantum sub somnolentia obnubilationem juncta habent.

XX. Quod ceterum HIPPOCRATES de apoplexia *Sect. II. aph. XXXII.* consignavit prognosticon, id utique veritati respondet egregie: *vehementiorem, scilicet, qualis est quæ a sanguine effuso, plane non, debiliorem autem, sive quam sanguis stagnans & serum secedens gignunt, difficulter solvi.* Nisi enim post venæficationem & congrua adhibita auxilia intra XXIV. horas sequatur levamen & symptomata remittant, spes salutis decollavit, & ex observatione AVRELIANI, tertius dies longissimus moriendi terminus. Isque funes tus eventus metuendus tanto certius, si senes invasit plethoricos morbus, ubi jam vires fractæ & cerebrum debile; si inebriationem summam, gravemque animi affectum iram & terrorem exceptit; aut etiam si alii antea perpeſo morbo supervenit. Mortem autem instare

instare concludendum: si stertor magis magisque ingravescit cum respirationis difficultate; si cor palpitat vehementius arteriarumque pulsatio admodum magna, dura simulatque inæqualis; si, ubi paulisper ad se reddit atronitus, aliena tamen est mens; si convulsivi motus unius laceris ipsiusque pectoris accidunt, frigidus præsertim in superioribus sudor hæret guttatum, ipsa exspiratio frigida est, & urina, & alvi stercore sponte elabuntur.

## THESES THERAPEVTICÆ CVM CAVTELIS.

### I.

**Q**uum adeo præceps & periculosum sit hoc malum, cito utique ac tempestive succurrendum, ubi adhuc salutis spes, ac æger in loco temperato & lucido ita collocandus, ut cervice non nimis declivis ac supinus, neque etiam plane eretus cubet, pedesque inprimis, vel plumis, vel integumentis, a frigore defendendi ac fovendi. Ipsa autem curatio repondeat causis. Inter quas quia præcipua, antecedens ipsum effluxum sanguinis redundantis in cerebri vasis congestio eminens, cum imminuta motrice vasorum ibi & membranarum potentia, eo quam maxime medicatio dirigenda: tum ut sanguinis motus & impetus a capite divertatur; tum etiam ut partibus ibi a robo defectis illud reddatur, ad redigendum iterum in motum qui subsistit sanguinem.

C 3

II. Ad

II. Ad exsequendum primum, ab omni a<sup>v</sup>o ceu  
efficax astimatum, & ab ipsa natura comprobatum  
remedium est in sanguinis missione, mox in principio  
mali, sine mora instituta. Huius merito primas in  
medicatione detulit cum NYMANNO DODO-  
NÆVS obser. medic. cap. IIX. aliisque. Nec ipsis in  
senibus eam omittendam esse, DECKERVS exercit.  
*præf.* p. 385. memorabili exemplo vetulae LXXII. anno-  
rum, per eam ab apoplexia liberatae, confirmat. Quin  
ipsam naturam hanc monstrare viam, ex LANCISI<sup>II</sup>  
observatione patet, qua senem fere septuagenarium  
apoplexiæ prodromis affectum, effusissima narium, ad  
duodecim libras hemorrhagia, sanatum esse memo-  
rat.

III. Quo vero pacto sanguis sit subtrahendus?  
non omnes eodem modo definiunt. Nonnulli, ac in-  
ter hos potissimum CATHERWOOD, in libello  
Anglice edito, arteriotiam omnibus aliis sanguini-  
mem mittendi modis anteponendam esse rationibus &  
exemplis docet. Cui sententiae calculum addecerunt  
Germani quidam Medici, inter quos etiam LOEW ab  
ERLSFELD in Medic. *præf.* Nec improbandum vi-  
detur consilium, ac dolendum modo, nostris in oris,  
ob Chirurgorum ineptitudinem ac remedii novitatem,  
illud adhibere non esse integrum. Plurimi venæse-  
tionem suadent; sed quo in loco secunda sit vena,  
iterum in diversum abeunt. Alii venas in brachio,  
alii in fronte, naribus, nec non sub lingua incidere  
jubent. MORGAGNI venarum occipitalium inci-  
sionem

sionem eximie collaudat *Advers. anat. VI. pag. 108.* quia hæ venæ intra cranium cum utroque lateralī sinu communicant, eaque propter instituta ipsarum sectiōne, sanguis, quem in sinus convecturæ erant, avertitur, atque hinc reliqui sanguinis, qui per eosdem sinus progreditur, copia minuitur aliquantum, motus autem non sine emolumēto augetur. Quia vero harum venarum trunci profundius sit & nonnunquam in plures minoresque ramos divisi reperiuntur, cucurbitulas & crebras altasque incisiones anteferendas putat. Quo quidem modo jam ZACVTVS LVSI-TANVS *Med. Princ. hiſt. lib. I. hiſt. XXXIII. bis* apoplecticos se sanasse refert. Ab exercitatiſſimis tamen & numero plurimis Medicis SEVERINO, LAN-CISIO, FREINDIO, BERGERO, nec non D. PRAESIDE in *Medic. ration. system. tom. III. p. 608.* venarum jugularium incisio laudatur, quia cerebro valde vicina & quam optime spatium libertatemque fluendi facit sanguini cerebro impacto ibique copiosus congesto.

IV. In omni sanguinis missione tenenda hæc. Institutatur quam potest fieri cito, priusquam ad atoniam usque dilatatae arteriola & a sanguine effuso cerebrum inundatum. Foramen infligatur satis amplum, ut sanguis citatori & liberaliori flumine efferatur, quia latus effluxus juvat nihil. Adornetur in loco parti affectæ proximo, brachio scilicet vel jugularibus. Quantitas sanguinis emittendi, ex vasorum plenitudine, pulsus viriumque habitudine determinetur,

semper

semper tamen sit larga. Si corpus plethoricum, temperamentum sanguineum, morbus a sanguinis evacuatione impedita ortus, iteretur sanguinis subtractio, quin repetatur, quum DIONIS perhibeat, septies demum incisam venam profuisse. Sed primum celebretur in pede, postea in brachio, seu collo, ne, si fucus fit, dato in parte superiore exitu, ex inferioribus & corporis ambitu ad caput major invitetur affluxus.

V. Præter venæ sectionem, ad divertendum sanguinis a capite affluxum, præstans virtus eorum, quæ alvum irritant fortius, non tamen drasticorum illorum catharticorum, quæ veneni quippiam recondunt, sed quæ indolis innoxiae, nerveas tantum intestinorum tunicas extimulant efficaciter & ad motum sollicitant, qualia sunt salia, gemmæ scilicet, Sedlicense & ammoniacum. Hæc indenda paullo liberaliori dosi clysmatibus, ac præterea addendæ species, quibus flatus discutiendi & roborandi virtus inest, cuius indolis ruta, salvia, majorana, satureja, thymus, serpillum, flores lindenæ, liliorum convallium, chamomillæ Romanæ, item semina carvi & anethi, unacum oleis expressis, rutaceo, chamæmælino ac laurino. Et sic confecta enemata non nimia copia, sed crebro, injicienda, ne iterum elabantur, & quidem ministerio syringæ, quo eo altius penetrent ac pervadant.

VI. Quæ vero nervosas robore exutas partes robort & ad motum extimulant eoque humoris subsistentis discussionem promovent, exterius partim, partim

partim interius admovenda. Exterius prestans virtus volacilium urinosorum, mixtorum cum cephalicis; inter quæ palmam fert in liquida forma salis ammoniaci cum calce viva paratus spiritus, ruta & majoranæ, vel lavendulae oleo imprægnatus; in sicca forma sal volatile salis ammoniaci siccum, iisdem oleis irroratum. Quæ vel naribus ad odorem admota, vel pluma ad interiora narium admissa, vel etiam per calamum scriptorium insufflata, excitant efficaciter. Eundem in finem locis exquisitoris sensus, maximeque pedum plantis, admoveri solent ea, quæ doloris quendam sensum ibi excitant, sive universum nervosarum partium sistema ad contractionem sollicitant. Quo nomine nota sunt frictiones asperiores cum paninis aut excutia instituta, nec non urticationes; nota quoque vesicatoria ipsaque cauteria actualia, quorum novum & a LANCISIO approbatum adhibendi modum, evulgavit DOMINICVS MISTICHELLI in tractatu Itala lingua de apoplexia edito.

VII. Interius autem si deglutendi facultas superest, aut redditia, neutquam danda spirituosa, aut volatilia; quippe quæ sanguinem, jam tum æstuantem, magis commovent ac rarefaciunt, eaque propter a PITKARNIO de *circul. sangu.* merito rejiciuntur. Sed propinanda ea, quæ analepticam, excitantem & simul discutientem virtutem possident; inter quæ spectata virtus diaphoreticorum fixorum, eum cinnabari, succino & nitro, quæ in pulveris forma cum aquis congruis, vel melius adhuc in potionem redantur.

D

Ga

cta porrigi possunt. Nobis quidem frequentioris & probati usus mixtura haec: recipe aquæ liliorum convallium cum vino, florum tiliæ, primulae veris, cinnamomi sine vino, aceti destillati ana uncias duas, spiritus cornu cervi succinati drachmam, antimonii diaphoretici, cinnabaris, lapidum cancrorum ana drachmam semis, siripi corticum aurantiorum drachmas duas. M. Cui nonnunquam, ad levem quandam stimulum nerveis stomachi fibrillis cum omnibus reliquis consentientibus inferendum, tantillum tartari emeticci adjicere solemus, ne tamen vomitum moyeat.

IIX. Sed quia haec cerebri hæmorrhagia non tantum oppido periculosa, verum etiam, etiam si curata fuerit, facile repetit; haud postrema medentis cura eo utique dirigenda, quo ejusdem tam accessum, quam recursum, arceat. Jam recte utique cum MARTIANO & BALLONIO sensit Casp. HOFMANNVS, lib. III. institt. med. apoplecticos, quotquot sint, esse plethoricos. Ideo, ut sanguinis redundancia minuatur, danda est opera quam maxime. Hunc autem in finem nunquam non utilis sanguinis missio, maximeque illa, qua circa æquinoctiale institui solet tempus, quo solennes fere esse solent sanguinis & humorum commotiones, naturæque conatus ad eliminandum id, quod est in corpore superfluum. Saluti eapropter etiam est, vel ipsius HIPPOCRATIS testimonio, hæmorrhoidum fluxus, maxime iis, qui eundem antea jam experti. Sed eundem sine damno

pro-

provocare & promovere, est utique artis. Nos ad obtinendum hoc, præter frictiones in ano & admis-  
tos fatus, maxime proficiam censemus hirudinum applicationem. Quibus utiliter adjungitur usus elixi-  
rii balsamici, ex aloë correcta, croco, myrrha &  
succino, cum menstruo lixivioso aquoso, non spiri-  
tuoso parati, nec non pilularum balsamicarum cir-  
cumspete datarum. Quæ tamen hæmorrhoides mo-  
ventia, minime adhibenda, si nulla ad fluxum adest  
dispositio, sed tum demum, quando emanere, aut  
parcius fluere incipit, alias, præsente plethora, plus  
nocent.

IX. Dein ad vindicandum ab incursu hujus mali corpus, maximum utique est præsidium in debito alvi  
secessu. Etenim generalis fere canon est præticus:  
neminem facile capitis morbos incurrere, cui offici-  
um rite facit alvus. Interim tamen alvina hæc excre-  
tio neutiquam proritanda validioribus draisticis, quæ  
nerveas intestinorum tunicas impetuosis aggredien-  
do, spasmos suscitant in iis, & inæqualem sanguinis  
circuitum inducunt. Blandioribus potius & naturæ  
amicis hoc expediendum. Inter quæ commendabilia  
maxime rhabarbarina cum salinis abstergentibus, nec  
non pilulae polychrestæ ac clystères.

X. Quæ præterea a quibusdam commendantur  
aquaæ & balsama sic dicta apopleætica, tam interne  
ufurpanda, quam exterius temporibus, naribus ac  
nucha inungenda, ad curationem æque ac præserva-  
tionem hujus mali, nostra quidem sententia, in iis, quibus  
metus

metus hæmorrhagiæ cerebri, plethoricis, sanguineis,  
virilis ætatis personis, sunt potius perquam nociva.  
De quo grave est testimonium DODONÆI Stirp.  
hijl. lib. VI. cap. VI. ita habens: *Ubi humorum copia ad-  
est, præsertim sanguini permixtorum, non tuus hujus  
(stillatitii lavendulae liquoris) usus est. Sicui neque  
compositionis, quæ ex stillatitio vino, in quo hujusmodi  
herbæ, flores, seminave & aromata macerata sunt, con-  
ficitur, quam plerique temere & indifferenter exhibent.*  
*Nam calidorum hujusmodi caput implentum usu, & mor-  
bus intenditur, & æger in periculum inducitur. Tertia  
longe infusa theiformia cum aqua, ex herbis cephalicis,  
melissa maxime, betonica, salvia, cum cardamomo  
minori condita, quæ frequentius sorbillata, sanguinis  
motum æqualem servant atque ipsi etiam cerebro ner-  
visque conducunt.*

XI. Nulla vero ab omnibus erit exspectanda in-  
columitas, nisi simul acceſſerit exactum in vita viſtu-  
que moderamen. Potissimum autem ad præservatio-  
nem momentum fert, quies cum abstinentia, quo  
CELSVS magnos morbos curari perhibet. Quare  
vitanda ciborum repletio immodica eorumque varie-  
tas; vitanda vina dulcia potentia, omniaque inebriantia,  
valida corporis exercitia, maxime post cibum.  
Neque is qui malum hoc metuit post cœnam statim eat  
cubitum; neque etiam capite nimis declivi cubet. Si  
aer ita comparatus, ut genesi hujus mali sit accommo-  
dus, corpus ei non committendum, sed pedes maxime  
a frigore defendendi, quandoque etiam pediluvio te-  
pido

pido immittendi, & in conclavi temperate calido manendum. Motus subinde instituendus est placidus, animus liber servandus atque tranquillus, somnus nec nimis longus, nec nimis accisus sit. Verbo: vitentur omnia, quæ supra in causarum procatarcticarum numerum relata leguntur.

## OBSERVATIONES CLINICÆ.

## I.

**C**omes illustrissimus, fere quinquagenarius, sanguine succique plenus, aliquot ante annos affectus fuerat aliquoties paralysi, leviore tamen, cum loquendi difficultate. Inde petiti vicinas ditioni suæ Carolinas, iisdemque usus est tam interius, quam exterius. Sed quum inconsulto id fecisset Medico, neque sanguinis missione, neque alvi purgatione, corpus prius rite præparasset, accidit, quum in balneum nimis adhuc calens descenderet, ut subito sensuum tam internorum, quam externorum usu, privaretur omni, sequuta mox respiratio valde citata, cum convulsivo quadam peccus attollente motu, arteriae pulsarunt valide cum quadam duritie & facies intense rubuit. Secta fuit vena, admotum quoque naribus sternutatorium, quo vehementior pectoris concussio cum summo stertore inducta. Latus sinistrum totum omnis motus ac sensus fuit expers, manus tamen in eo convulsa perpetuo agitata. Mens plane non sibi constitit & intra quinque horas exceptit mors. Post quam ingens sanguinis ac seri sanguinolenti copia, per viginti quatuor & longius horas, e naribus manavit.

D 3

EPI-

## EPICRISIS.

Si ullus thermalium aquarum ad balneum usus circumspetionem poscit ac prudentiam, certe est Carolinarum. Harum enim ea indoles, ut terreo calcareo, nec non martiali quo pollut principio, corporis superficiem constringant valide & sanguinem ac humores ad interiora agant. Atque hinc est, quod oedematosos pedum tumores abigant cito, ac ubi corpus spasmis obnoxium est simulque vasa sanguine turgent, graves passiones, cordis palpitacionem vehementem, capitis dolorem acutum, cum virium dejectione & artuum debilitate inducere, quin febrem continuam aequa ac intermittentem accendere valeant. Ea vero propter etiam non mirandum, quod in illustrissima hac persona, sanguine redundant & praesente jam in capite ad humorum stagnationem dispositione, usu inconsulto, sanguis cum impetu fuerit congestus ad caput, ac tam in ipsius interioribus, quam exterioribus vasa rupta, lethali cum evenitu. Id enim luculenter arguit sanguinolentum illud largum post mortem narium profluvium, quod factam in cerebro hæmorrhagiam, semper prodit. Quod autem sternutatorio admoto increvit spiritus cum stertore difficultas, id utique monet medentes, ut in apoplexia sanguinea parcum eorum quæ sternutamenta movent & circumspetum, sedato prius sanguinis ad caput impetu habeant, usum, ne sanguis majori cum vehementia ad locum cui stimulus impressus ruat mortemque acceleret.

IL

## II.

Femina generosa, quinquagesimum ætatis annum agens, constitutionis sanguineæ & texturæ admodum teneræ ac mollis, copiosum semper experta fuerat sanguinis per menses fluxum. Sed quum is quadragesimo nono anno ob ætatis rationem retineretur, ipsa de anxietate & angustia præcordiorum, inflatione in latere abdominis sinistro, gravitate & flacciditate artuum, vertiginoso capitis ac gravativo dolore, cum somno inquieto & interrupto, graviter cœpit conqueri, licet vultum rubicundum admodum exhiberet. Accedente tandem hieme, adeo exacerbata fuerunt hæc omnia, ut Medici auxilium implorare cogeretur, qui ad discurtiendos flatus falias dedit volatilia oleosa, itemque carminativas essentias, ac præterea porrexit purgantem pulverem, ex resinæ jalappæ scrupulo dimidio ac tartari vitriolati grânis sex. Quo quum sexies non sine acerbis tormentibus fuisset purgata, in sequenti nocte insultu correpta est apoplexico, pulsu tamen & respiratione adhuc integra. Sexta fuit vena protinus & injectus clyster acris; quibus ad se quidem rediit attonita, sed superfuit aphonia magna capitis debilitas. Hæc ut tolleret & recidivam arceret morbi artifex, obtulit denuo purgantem cum aqua liliorum convallium pulverem, ex resinæ gialappæ granis XII. & vitriolati tartari grânis X. Quo assumto, elapsa vix hora, rediit apoplexia & miseram brevi tempore traxit morti.

## EPICRISIS.

Inclinant utique in sanguineam apoplexiā sanguinæ

32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, &c.

guineæ feminæ desinente mensium fluxu, eaque propter venæsectione opus habent quam maxime, ne accendentibus aliis caulis, in actum erumpat dispositio. Ad quod si quicquam aliud efficax, est certe usus purgantium validiorum ac tormenta inducentium. Quæ inter merito numeranda funestis multis effectibus infamata jalappæ resinæ, in pulvere data; quippe quæ deglutita in stomacho facile coit ac plicis nervæ intestinorum tunicæ adhærescens, spasmos ciet ac oppido dolorosas tensiones, quibus utique sanguis urgetur ad superiora, ibidemque effectus edit exitiales. Quo magis patet, graviter peccasse medicantem, qui accidente post oblatum hoc purgans, apoplexia leviore, hac remittente, idem obtulit iterum in tanta copia, eoque recidivam induxit graviorem simulatque lethalem. Ac licet haud adeo incongrua videri possit noxios humores ad inferiora deducendi intentio, clementioribus tamen laxantibus, vel etiam clysteribus id fuisset perficiendum, non iis, quæ intestinis spasmos, ex tormentibus cognoscendos, inducunt, eoque sanguinem ad caput urgendo, ut ibi perrumpat & lethum inferat, faciunt.

Sed hæc de hæmorrhagia cerebri attulisse sufficiat. Plures quidem ex longa D. PRAESIDIS experientia adducere potuissemus observationes clinicas. Verum & temporis, & chartæ angustia, id vetarunt. Quare reliquas commodiori forsan loco reservamus, ac interea ut his cum fructu utatur benevolus lector venuimus.

FINIS.

• S. J. S. •





Ul 923



TA → OL

nur 1 Stück und 10 verblieben

Retro ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24







*DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA*  
DE  
**HÆMORRHAGIA**  
**CEREBRI**  
QVAM  
PROPITIO NVMINE SVMMO  
PRÆSIDE  
**D. FRIDER. HOFFMANNO**  
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE  
AD  
DOCTORIS IN MEDICINA  
DIGNITATEM ET PRIVILEGIA  
RITE OBTINENDA  
AD D. 8. AVGVSTI A. R. S. CIOCCXXX.  
PVBLICO EXAMINI  
SVBMITTE  
**GABRIEL ZACHARIAS CLAVDER**  
ALTENBURGENSIS MISNICVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS GEORGII IACOBI LEHMANNI VIDVÆ